



I. Abtheilung: Abhandlungen.

De veris Breviarii Romani originibus et prima ejus forma. Disquisitio critico-liturgica.

Auctore R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.

Origines operis Dei, seu officii quotidiani divinae laudis, quod hodie nuncupatur Breviarium, multis sunt obvolutae tenebris seu obscuritatibus, sicut ea omnia, quae inchoata initialiter primis Ecclesiae seculis, multis postea decursu temporum aucta fuerunt additamentis. Nullus vero hucusque Liturgista dicti Breviarii Romani speciatim considerati origines ad veram lucem adduxit, ostendendo scilicet quae fuerit prima dicti Breviarii forma, quibus Horis et elementis jam constaret desinente seculo quinto, antequam S. P. Benedictus monasticum condidisset cursum.

Hanc equidem provinciam recensendi scilicet origines et vicissitudines Breviarii Romani aggressus est recenter post Grancolam, Pleithner, et multos alios doctos viros, quidam eruditus sacerdos Parisiensis,¹⁾ et non sine fructu sub multis respectibus. Relate tamen ad dictas origines seu ad institutionem septem Horarum Canoniarum, in quibus residet prima et essentialis forma istius cursus, in errorem forsitan versatur iste auctor dum asserere audet cursum Romanum non hanc septem Horarum attigisse perfectionem, nisi inchoato seculo septimo, antea vero minime jam omnibus et singulis hodiernis Horis ditatum fuisse ac consequenter sub hoc respectu, qui praecipuus est, ut patet, posteriorem esse cursui monastico a S. P. Benedicto instituto.²⁾ Quo casu dicendum esset cursum, Romanum qui multiplicem habet cum dicto monastico

¹⁾ Batiffol. Histoire du Breviaire Romain, Paris, 1893, in 18.

²⁾ Batiffol. Histoire du Breviaire Romain, p. 1 et alibi passim.

affinitatem, nihil fere isti tribuisse, plurima vero maximi momenti ab eo mutuatum esse,¹⁾ verbi gratia Horam completorii, et quod majus est, ideam partitionis liturgicae centum quinquaginta Psalmorum Davidicorum inter officia uniuscujusque hebdomadae. Porro nonne talia asserere idem esset ac implicite dicere contra Bedam et omnes antiquos Liturgistas. „Horae Canonicae non sunt ecclesiasticae sed monasticae traditionis?“²⁾ Nonne tali modo gravissimum, saltem indirecte, inferretur damnum laudi et existimationi Ecclesiae Romanae, matris et magistrae omnium aliarum Ecclesiarum, siquidem in re tam gravis momenti ut officium divinum, pedissequae ac discipulae solummodo partes expleverit ista Ecclesia, cui semper decent munia dominae et magistrae?

Quocirca antequam istius assertionis admittatur certitudo, novo res examini, ut mihi videtur, subjicienda est. Unde sedulo inquiram quid certi sciatur de origine et institutione septem Horarum Canoniarum, seu potius de antiquitate partitionis liturgicae Psalterii, et de ejus nexibus indissolubilibus cum istis septem Horis, et forsitan isto modo falsitas assertionis, de qua supra, melius patescet dum comprobatum fuerit dictam partitionem antiquiorem esse seculo sexto inchoante et ipso S. P. Benedicto. Sed tamen prius quaerendum est quid sint Septem Horae Canonicae, et quem locum teneant in officio divino, sive Romano, sive Monastico.

§. 1. De institutione septem Horarum Canoniarum, seu de prima forma Cursus Romani.

Cursus divinae laudis, qualis nunc existit in Ecclesia Romana, quotidianus est et constat essentialiter septem Horis Canonicis, quae sunt 1. Vigiliae Nocturnae³⁾ cum Laudibus, 2. Prima, 3. Tertia, 4. Sexta, 5. Nona, 6. Vespera, 7. Completorio. Porro sine his septem horis non existeret iste cursus Romanus, ac etiam una ex his deficiente, mancus remaneret ac imperfectus. Unde origines istius cursus sub hoc respectu eadem sunt ac origines seu institutio septem Horarum. Porro prorsus ignoratur quo tempore vel a quo Pontifice institutae sunt praesertim tanquam quotidianae istae Horae. Nam tacent omnino de hac re Irenaeus et antiqui Patres, Eusebius et alii historici ecclesiastici. Usus vero consecrandi precibus et orationi noctem, quae praecedebat natale Martyrum, reputandum esse tanquam principium institutionis

¹⁾ Circa hanc concordiam et haec additamenta jam disserui. (»Studien« etc. anno 1889, t. X, p. 52—64; 235—243.)

²⁾ Commentar, in Lucam. Lib. V. c. XVIII, v. 1.

³⁾ Hodie improprie Vigiliae Nocturnae nuncupantur Matutinum, quod nomen idem sonans ac mane primum seu diluculum, proprium erat primitus officii Laudum.

Vigiliarum Nocturnarum, ut vult D. Batiffol,¹⁾ et similiter usum cantilenarum matutinalium in die Resurrectionis habendum esse tanquam principium institutionis officii Laudum,²⁾ non mihi videtur rerum veritatis consentaneum: nam nec quotidianae erant Vigiliae Martyrum nec quotidiana est ista exultatio Paschalis, dum noster cursus divinae laudis essentialiter quotidianus est, nec aliter concipi potest ex ipsius objecto et fine. Unde duplex usus, de quo agitur, solummodo causa est, meo iudicio, solemnitatis specialis supra minores horas et Completorium, qua decorantur Vigiliae et Laudes, minime vero causa et origo institutionis alicujus cursus quotidiani, qui his duabus horis unice constiterit.

Verumtamen negari non potest jam in Ecclesia existisse, mediante seculo quinto et forsitan antea, quemdam divinae laudis cursum quotidianum et nostro in multis conformem, testibus Basilio et Ambrosio, Hieronymo et Joanne Chrysostomo, Augustino et Cassiano. Isti vero Patres de hac re loquuntur modo generali, nihilque speciatim referunt de Cursu Romano proprie dicto seu de ejus initiis. Unde ut haec notitia obtineatur, necesse est recurrere ad alios fontes, ego vero adibo partitionem liturgicam Psalterii quasi ad hunc finem assequendum multiformiter aptam. Quocirca nunc de ea agam tanquam prima et essentiali forma Breviarii Romani. Quae res ut melius omnium oculis pateat, ostendam primo loco quomodo ista partitio romana supponit existentiam septem Horarum Canonicarum nec perfici potuit quin prius institutae fuerint istae septem Horae.

§. 2. De partitione Psalterii liturgica et de ejus nexibus cum septem Horis Canonicis.

Cursus Romanus constat hodie et jam a multis seculis, ut omnibus notum est, convenientissima intermixtione psalmodiarum et hymnorum, antiphonarum et versuum, lectionum et responsoriorum. Sed ab initio non fuit sic. Nam primitus psalmi, qui sine antiphona seu in directum canebantur, illud unice cum collecta efformabant: cujus rei aliqua jam nunc remanent vestigia scilicet in pluribus officiis Tridui Sacri Majoris hebdomadae ac etiam hebdomadae paschalis in quibus (verbi gratia Parvis Horis et completorio) omnia supprimuntur praeter Psalmos et collectam finalem. Nam hae suppressiones, teste Amalario et antiquis Liturgistis, non fiunt solummodo propter mysterium sed etiam propter vetustatem, et usum initialem.³⁾ Aliunde psalmi, ut omnes sciunt, habentur etiam hodie tanquam pars magis essentialis uniuscujusque Horarum, dum responsoria, hymni et lectiones nihil aliud

¹⁾ Histoire du Breviaire Romain p. 12—14.

²⁾ Histoire du Breviaire Romain p. 4 et alibi.

³⁾ Amalarius. De ecclesiasticis officiis, IV, 21. — De Antiphonario XVIII.

sunt quam additamenta et ornamenta. Quocirca doctus Cardinalis Thomasius, unus ex principibus scientiarum liturgicarum rotunde asserit simplex Psalterium dispositum per hebdomadam primam fuisse Breviarii Romani formam.¹⁾ Insuper iste eximius auctor hanc antiquam Psalterii partitionem publici juris fecit juxta fidem codicum, eamque decoravit veteri suo titulo Ordo psallendi Ecclesiae Romanae.

Porro quando pro prima vice istum ordinem contuli cum Psalterio disposito per hebdomadam, quod invenitur in capite hodierni Breviarii Romani, mihi statim apparuit utriusque concordia seu potius identitas fere litteralis, subitque menti meae quidam ardor praesagii seu suspicio quaedam illud maximi esse momenti relate ad controversiam de qua nunc tracto. Aliis verbis haec conformitas antiqui ordinis psallendi cum hodierno Breviarii Romani Psalterio, hactenus nunquam considerata, mihi ostensa est tanquam radix et basis cujusdam argumentationis, vi cujus excutiuntur pro majori parte tenebrae, quibus antea obtegebantur origines Cursus Romani. Eo majori studio mentem meam evolvo quod primus, de tali re sollicitus, animadverterim quibus nexibus sibi invicem cohaerent institutio septem Horarum Canoniarum et partitio liturgica Psalterii.

Non est enim haec romana distributio Psalmorum, ut aliqui immerito putant, simplex juxtapositio uniuscujusque eorum secundum numerum suum. Methodice vero et juxta principia fixa ita ordinata apparet, ut unusquisque centum quinquaginta psal-
morum Davidicorum, nullo excepto, suum locum teneat distinctum et inconfusum, nullamque divisionem, licet sit prolixus, accipiat, excepto unico centesimo decimo octavo. Insuper duodecim, vel quinque, vel tres Psalmi assignantur diversis Horis secundum earum particulare momentum, sed res semper uniformiter et symbolice aguntur.²⁾

Porro sequestratis in primo loco psalmis Laudum matutinalum, qui de incipienti luce speciatim tractant, et psalmis Completorii, qui finem diei, et quietem noctium commemorantur, secerantur in secundo loco Psalmi nocturnales, scilicet primus et sequentes usque ad centesimum octavum a Psalmis Vespertinalibus,

1) Tomasi opera, editio Vezzosi, t. 7 pg. 65 et alibi.

2) Haec symbolica uniformitas, de qua multa dici possent, nobis veram rationem affert ni fallor, pro qua Vigiliae dominicales 18 psalmos computant. Prima vero ejusdem diei, novem, scilicet ut iis expletis numerus symbolicus semper servetur. Quae tamen distributio quae ad Primam immutata est a S. Pio V, partitis sex psalmis superadditis dominicae diei inter sex primos dies hebdomadae et isto modo officium feriale Primae frequenter quatuor et non tres computat psalmos. Sed ab initio non fuit sic. Similiter in completorio addititii computantur sex primi versus Psalmi trigesimi propter verba: »In manus tuas commendo spiritum meum«, et vivente S. P. Benedicto non addebantur meo judicio.

qui currunt a centesimo nono ad centesimum quadagesimum septimum. Qua separatione facta duodecim ex ipsis deputantur Vigiliis uniuscujusque feriae, quinque vero Vesperis uniuscujusque diei.

Haec vero partitio insolubiliter connexa est institutioni septem Horarum Canonicarum, aliis verbis, tali tenore distributa est ut nullo modo potuerit institui, quin prius exstiterint istae septem Horae non exceptis Prima et Completorio, quae tamen aliis recentiores judicantur. Nam deficiente Prima, quis locus aptus ad inveniri possit quatuor primis octonariis Psalmi centesimi decimi octavi? Nonne decem et octo alii octonarii ejusdem Psalmi ita distribuuntur inter Tertiam, Sextam et Nonam, ut sex unicuique earum uniformiter assignentur, sed tres solummodo mystice constituentur psalmi? Prima vero suppressa, haec uniformitas mysteriis plena evanescet seu ad nihilum redigetur.

Similiter deficiente Completorio, ubi remaneret sedes vacua et conveniens pro locandis quarto, nonagesimo et centesimo trigesimo tertio psalmis? Nullam sane invenio, nullam quilibet alius, ni fallor, invenire poterit, siquidem in ea partitione romana, ut jam dixi, prima et invariabilis regula est non dividere psalmos, secunda vero eundem ac hodiernum mysticum numerum psalmorum sine ullo defectu vel excessu attingere. Quo rerum statu nulla ibi ullo tempore vacua fuit sedes, quae locum alicui mutationi praebuerit. Hinc dicta Psalmorum romana distributio ineluctabiliter pendet ex institutione septem Horarum Canonicarum, aliis verbis, non potuit ad effectum perduci, quin prius institutae fuerint dictae septem Horae.

Objicies forsitan relate ad Completorium a Cardinali Bona¹⁾ et post eum, nunquam autem antea, a pluribus aliis melioris notae Liturgistis dicti officii institutionem S. P. Benedicto attributam fuisse. — Res est quidem vera, sed aliquando bonus dormitat Homerus. Mihi certum videtur quod neque Bona, neque plurimi ejus sequacium tali sententiae favissent de institutione Completorii, si animadvertissent hanc opinionem non conciliari posse cum anterioritate tum cursus romani supra monasticum, tum partitionis romanae Psalterii supra monasticam: nam indubie Bona, et alii, de quibus loquor, opinabantur cursum monasticum romano esse recentiorem, romanam vero Psalterii partitionem ante monasticam exstitisse.²⁾

¹⁾ De divina Psalmodia XI, n. 1 et 2.

²⁾ Sic expresse assererat inter alios meus doctissimus magister Dominus Guéranger, licet similiter S. Benedicto tribueret completorii institutionem, V. conférences monastiques du R. P. Dom Guéranger conservées à S. Pierre et à S. Cecile de Solesmes.

Aliunde huic objectioni latius diluendae primus appendix dicabitur. Sed ea quae dixi sufficiunt ad ostendendum in quo sensu distributio liturgica Psalmorum jure merito prima forma reputatur cursus romani, illumque nobis essentialiter exhibet. Hinc concludendum est quod iste cursus eadem antiquitate ac ista distributio gaudere debet. Unde si ista partitio sexto seculo antiquior est, cursus ipse romanus S. Benedicto et cursu monastico antiquior erit. Ad propositam ergo metam currens statim de ipsa antiquitate partitionis romanae Psalmorum breviter disseram.

§. 3. De romanae partitionis Psalterii antiquitate in se considerata.

Jam novit lector quanam sit Romana Psalterii distributio, et quas ob causas perfici non potuerit quin prius institutae fuerint septem Horae Canonicae. Pauca vero nobis tradiderunt antiqui Liturgistae de ejus auctore seu de tempore ejus institutionis: unde nos latet a quo Romano Pontifice fuerit praecise instituta seu introducta. Verumtamen sine dubio valde antiqua est teste Walafrido, cujus haec sunt verba: „Eam Psalmorum distributionem, qua nunc utimur, circa tempora Theodosii senioris (390?) inchoatam fuisse, ac deinceps expletam, multis animadvertimus de causis“,¹⁾ testibus etiam fere omnibus Liturgistis medii aevi, juxta quos dicta partitio commune debet esse opus Sanctorum Damasi et Hieronymi;²⁾ teste etiam auctore Libri Pontificalis, qui eam tribuere videtur et non sine aliqua ratione probabili S. Coelestino Papae.³⁾ Insuper antiquitas istius partitionis etiam eruitur 1. ex eo quod dicta partitio vim habeat legis omnibus anni diebus, non excepto triduo majoris hebdomadae, in quo tamen interdicuntur cantus Gloria Patri, sonitus campanarum et alii ritus, qui non sunt stricte primitivae Ecclesiae; 2. ex eo quod eundem (id est, praecipuum) tenet locum dicta partitio in cursu Romano, quem occupat Canon Missae in sacramento altaris. Utrumque enim tali honore et tali veneratione circumdatur et munitur, ut nefas sit eis aliquid addere vel minuere, etiamsi tractetur de Liturgia reformanda testibus S. Pio V. et doctissimo Benedicto XIV.⁴⁾

Animadverti etiam potest quod nunquam ab antiquis Liturgistis haec distributio Psalmorum attributa fuerit Sanctis Sylvestro

1) De rebus ecclesiasticis XXV.

2) Confer Anonymus helvetus octavi seculi. — Patrol. latina t. 138, p. 1347; Gemma Animae XI. seculi lib. 2, c. 17, 65.

3) Liber Pontificalis edit. Duchesne, t. 1 pg. 230 et n. 1.

4) Lueulenter de hac re disserit Batiffol opus citatum p. 313 et alibi passim.

et Gregorio Magno,¹⁾ qui aliunde tam copiosis institutis praesertim liturgicis ditaverunt Ecclesiam Romanam. Hinc facile creditur eam recentiorem esse primo ex istis duobus Pontificibus, antiquiorem vero secundo. Sed in isto rerum statu ignoramus semper utrum dicta partitio sit antiquior necne S. Benedicto, cujus Gregorius fuit discipulus. Quod dubium tamen solvi necesse est, ut certo sciatur cuinam tribui debet laus et honor istius institutionis, siquidem ipse Pater Benedictus quamdam partitionem romanae analogam adinvenit, juxta quam ordinavit cursum monasticum, cujus propter hanc ipsam causam auctor seu ordinator nuncupatur. Unde ex hujus dubii solutione pendet, ut jam dixi, solutio ipsius quaestionis de veris originibus Breviarii Romani, quae hic tractatur.

§. 4. De Antiquitate partitionis romanae
Psalmorum considerata in suis relationibus cum
partitione monastica.

Stabilita quidem manet remota antiquitas distributionis liturgicae Psalmorum, seu primae formae *Cursus Romani*; hoc autem non sufficit meo proposito, dum ignoramus utrum haec antiquitas major sit necne antiquitate correlativa *cursus monastici*, qui habet pro fundamento aliam ejusdem generis distributionem a S. Benedicto excogitatam. Nam inter utramque partitionem, romanam scilicet et monasticam, talis adest affinitas seu similitudo et partim uniformitas litteralis, ut clare pateat alterutram e duabus ab alia pendere, eamque primitus habuisse tanquam formam et exemplar.

In utraque etenim distributione idem est objectum seu finis, scilicet ita partiri inter officia et septem Horas centum quinquaginta psalmos Davidicos ut Psalterium ex integro decantetur per circulum uniuscujusque hebdomadarum. In utraque etiam Psalmi nocturnales uniformiter sese extendunt usque ad centesimum octavum, dum *Vespertini* inchoantur a centesimo nono et finiunt in centesimo quadragesimo septimo. In utraque eadem sunt *Horae diei ac noctis*, quae eisdem etiam nominibus designantur. Idem est *Psalmus Invitatorius*, qui repetitur quotidie, iidem etiam *Psalmi Completorii*, eadem *Cantica* tum prophetica *Laudum*, tum evangelica *Laudum* et *Vesperarum*. In multis itidem concordant *psalmi Laudum* et *Horarum*. Quinimmo in eodem sensu usurpantur plures voces mere conventionales, verbi gratia, *Benedictiones* pro *Cantico trium puerorum Babylonis* designando; *Laudes* pro *tribus psalmis ultimis Davidicis*, *capitula* pro *secti-*

¹⁾ Hanc tamen partitionem S. Gregorio tribuit recenter modo dubitativo R. P. Domnus S. Baeumer Congregationis Beuronensis. («*Studien*» anno 1889 t. X. p. 393—397. Vide meum *Appendicem secundum*.

onibus alphabeticis psalmi centesimi decimi octavi.¹⁾ Alia similia inveniri possent: sed haec sufficiunt meo proposito. Hinc nemini dubium esse potest quin vel S. Benedictus partitionem romanam sub oculis perspectam habuerit, dum monasticam ordinaret vel e contra ordinator cursus romani S. Benedictum quasi antecessorem et exemplar imitatus fuerit. Lubens etiam et gaudens, utpote ordinis monastici alumnus et S. Benedicti discipulus, adhaerere sententiae eorum, qui prioritatem in ordine temporum tribuunt monasticae partitioni, si talis assertio rerum veritati esset conformis. Sed mihi opponuntur plurima et maximi ponderis testimonia, quae pugnant pro Ecclesia Romana, et pro anterioritate cursus Romani. Quocirca nunc isti producantur testes ut postea lector, causa optime discussa, sententiam ipse proferat decisivam.

Porro primus sit meus testis, stupentibus pluribus, ipse Monachorum Occidentalium Legislator.

(Continuabitur in seq. fasc.)

Die Liebeshätigkeit der Cistercienser im Beherbergen der Gäste und Spenden von Almosen.

Von Ludwig Dolberg, Ribnitz in Mecklenburg.

„Hadmar Chunring errichtete das Abtshaus neben dem inneren Thore gemäss der alten Gewohnheit der Regel und des Ordens,“ erzählt uns das Stiftungenbuch oder liber foundationum der Cistercienser-Abtei Zwettl, S. 66 (herausgegeben von Joh. von Frast in *Fontes rerum Austriacorum*, 2. Abth. III.). Auch auf dem Plane von Clairvaux bei Viollet-le-Duc (*dict. rais. de l'arch.* I. 266. fig. 5) finden wir dasselbe nahe dem Thore. Bezugs Pontigny bemerkt der eben angezogene französische Archeologe und Architect: „le logement de l'abbé et des hôtes étaient à l'ouest porche de la première entrée du monastère“ (*das.* I. 273). Zu Doberan ist der ältere Theil eines Gebäudes, das nun als Pferdestall dient, unfern des Klosterthores ein Rest der Appides Kemmerade in des Appide Hofe gelegen. („Studien“ X. 42.)

Die österreichische Quelle gibt auch den Grund für diese Lage des Abtshauses unter deutlicher Bezugnahme auf die Regel des hl. Benedict (*cap.* 53. *De mensa abbatis*) mit den Worten: „Damit die ankommenden Gäste (*hospites*), welche einem Kloster nimmer fehlen, den Convent und die Kranken nicht stören.“ Auch der *liber usuum* lässt diesen Grund dafür klar in dem

¹⁾ Confer *Ordinem romanum*, loco citato cum *Regula S. Benedicti*, *cap.* XII, XVIII etc.